

Franckesche Stiftungen zu Halle

Programma, Qvo Svb Avspicivm Lectionvm Pvblicarvm, In Cl. Iacobi Thomasii Erotemata Logica Institvendarvm, Ivdicivm De Logica, Ex Clemente ...

Tribbechow, Johannes

Halae Magdebvrgicae, [1705?]

VD18 13538721

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-198689



Uod omnibus scientiis

ac disciplinis accidit, vt variant de iis hominum opiniones, his illas probantibus, aliis contra vituperantibus, vt plerumque, quot capita, tot etiam sententiæ inueniantur; id ipsum LOGICA, quæ disciplinarum commune instrumentum audit, singulari ratione experta est. Ecquis enim, qui historiam philosophicam vel a limine salutauerit, ignoret, Cynicos, nec non Epicuri scholam cum Sadducæis parum honorifice de instrumentali ista scientia sensisse; Aristotelicos vero, Stoicos cum Pharisæis, & sequiori æuo maximam Scholasticorum turbam, nimium ipsi tribuisse? adeo vt parum abfuerit, quin immoderata Logicæ & Metaphysicæ laude, & temerario studio, vtiliores, quibus inferuire vtraque debebat, litteras suppresserint, & tantum non extinxerint; quod argumentum luculenter tractauit B. parens libro, quem *de Doctoribus Scholasticis* inscripsit.

Sed vt a Philosophis ad Patres Ecclesiasticos pro instituti præsentis ratione veniamus, inter hos quoque alii magis, alii minus philosophiam æstimarunt. Quorum quidem sententias ea de re exponere, nostrum iam non est: vnum tamen præter cetera adduxisse haud frustra fuerit, Philosophiam illis idem significare, quod sapientiam diuinam, in Christo patefactam, quæ ad æterna ducit bona, & sola veritatem perspicit ac cognoscit, vno verbo, *Christianismum*. Cuius rei documenta qui desiderat, adeat is Eusebii, Chrysostomi, Basilii aliorumque Græcorum Patrum scripta, & mole testimoniorum obruetur, quorum summam collegit *Suicerus in The-
saurο Ecclesiastico*.

Commode tamen hic obseruare licuerit, præsertim a Clemente Alexandrino accurate distingui inter φιλοσοφίαν & ipsam σοφίαν, inter σοχασμὸν τῆς ἀληθείας, *considerationem* (generalem) *veritatis*, & inter ipsam ἀλήθειαν. Illam concedit Ethnicis sanioribus, vtpote qui in vestibulo quasi sapientiæ steterint, nacti aliquam προπαιδείαν, (quæ vox κατ' ἐπιείκειαν Patribus debitam, non secundum rigorem orthodoxum, intra terminos suos summo iure æstimandum, explicari debet:) hanc, sapientiam & veritatem, quam Christus aduentu suo docuerit, soli vindicat religioni Christianæ. Hinc est, quod de Græca philosophia affirmet: *χειρῶν τῆς ἐστὶν ἡ μερικὴ αὐτῆς φιλοσοφία, hanc elementarem quandam* (seu, quæ elementa tantum aliqua tradat) *ἔστιν ἡ partialis* (quæ particulam aliquam veritatis contineat) *ἡ φιλοσοφία*. Strom. l. vi. p. m. 275. Ad quam sententiam plures tam ex Græcis, quam Latinis, Patribus accedunt. Vid. *Lactant. Instit. Div. l. vii. c. 7.*

Enimuero iam propius materiam præsentem inspiciamus, ex Clemente Alex. (cui summa eruditio & iudicii acumen, cum sanctæ mentis habitu coniunctum, maximam, eamq; debitam apud Christianos peperit auctoritatem,) iudicium de Logica potissimum tradiuri. Quod vt eo melius succedat, præmittimus ex eodem insignem locum, quo, quid in vniuersum Clemens de externis disciplinis senserit, perspicue exponitur, & quidem latinis, vt spatium lucremur, verbis: *Multi obstruunt aures propter inscitiam (ἀμαθίαν) quoniam sciunt, si Græcis disciplinis aures semel præbuerint, futurum, vt nunquam possint reuerti postea. Et autem, qui decerpit (τῷ ἀπανδιζομένῳ) id quod est conducibile ad usum Catechumenorum (pro tempore suo loquitur) ἔστιν ἡ maxime eorum, qui sunt Græci (Domini autem terra ἔστιν ἡ plenitudo eius) non est abstinendum a studio doctrinæ instar brutorum animantium. Sunt autem plurima iis, qui intelligunt, quoad eius fieri potest,*
sup-

*suppeditanda adiumenta. Sed nequaquam est in his immoran-
dum, præterquam ad id, quod ex iis accipi potest, commodi, ut
cum id acceptum possederimus, possimus domum reuerti ad veram
philosophiam, quæ est firmum animæ refugium, quod ab omnibus
præbet securitatem. lib. VI. Strom. edit. Paris. lat. p. 656. Qua
etiam in sententia fuisse consummatos Theologos, Augu-
stinum, Basilium, Nazianzenum & Hieronymum, iis, qui
lectionem Patrum amant, notius est, quam ut commemo-
retur.*

Iam, quæ generatim Clemens noster de omnibus, quæ
liberales dici solent, artibus ac disciplinis pronunciat, eadem
ipsi mens sedet ac sententia de studio, quod speciatim circa
LOGICAM versatur. Iustum huic statuit pretium, nec ex-
tollendo nimis, nec plane idem abiiciendo, abusu eius &
erroribus inde manantibus, candide passim indicatis. Sci-
licet Christianum, seu ut loqui amat, *Gnosticum* (vere ta-
lem) ut omnibus disciplinis, ita etiam *Dialectica* uti, ex qua
præcipue eligat diuisionem generum in species, & afferat τῶν ὀν-
τῶν διάκρισιν seu eorum, quæ sunt, discretionem, donec attige-
rit prima & simplicia. Id quod facit analysis, rem in sua prin-
cipia resoluendo, adhibita distinctione. lib. IV. Strom. p. 278
in Græco. Et paulo post: *Cognitione præditus* (γνῶσιμὸς) ha-
bebit disciplinarum multarum cognitionem, quibus non tanquam
virtutibus, sed adiutricibus utens, præsertim in distinguendis
communibus a propriis, admittet ad veritatem. Est enim erro-
ris & omnis falsæ opinionis causa, non posse discernere, quam
ratione inter se conueniant ea, quæ sunt, & quam ratione
differant. Unde via in errores prona est. Nominum autem &
rerum distinctio in ipsis quoque Scripturis magnam affert lucem
animis. Et paulo ante: *Talis* (vere eruditus) non timebit a
falsâ opinione, quæ circa eum (strepit) neque astutas & callidas
(πᾶσι γὰρ) perimeſcet orationes, qui eas potest discernere, siue
ad interrogandum, siue ad recte respondendum. Est enim Dia-
lecti-

lectica veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur a sophistis.
 Vnde patet, sobrium Logicæ studium acuere ingenia, nec
 parum vtilitatis conferre ad distinguendos ambiguos con-
 ceptus ac sermones, ad interpretandos commodius alio-
 rum sensus, ad soluenda sophismata, ostensis, quibus ple-
 rumque laborant, æquivocationibus. Quare nulla pars
 Logicæ s. Dialecticæ (Clementi enim hæc duo synonyma
 sunt) ne illa quidem de Terminis excepta, prorsus inuti-
 lis est, si quis ea modo legitime vtatur. Et vt clarius adhuc
 de mente prudentissimi Patris constet, appono ex libro I.
 Strom. p. 138. sequentia: *Est quidem Saluatoris doctrina per se
 perfecta, nec rei cuiusquam indiget, vt quæ Dei virtus & sapientia
 sit. Accedens autem Græca philosophia non potentiorē reddit
 veritatem, sed hoc præstat, vt sophisticus conatus (σοφιστικὴ ἐπι-
 χείρησις) nihil aduersus eam possit, ac propulsat dolosas aduer-
 sus veritatem insidias.* Hinc sapius eos, qui temere philoso-
 phiam reiiciunt, confutat, quod vel ex supra allato testimo-
 nio patet. Ceterum graues quoque censuras noster ad-
 iicit de studio Græcorum (& qui eos imitantur) sophistico,
 quod egregie sic definit: *ἡ σοφιστικὴ τέχνη, ἣν ἐξηλώκασι ἐλ-
 ληνες, δύναμις ἐστὶ φανταστικὴ, διὰ λόγων δοξῶν ἐμπαρητικὴ ψευ-
 δῶν ὡς ἀληθῶν.* *Ars sophistica, quam cum emulatione sectati
 sunt Græci, est potentia phantastica, verbis falsas opiniones, tan-
 quam veras ingenerans.* lib. I. Strom. p. 124. Et paucis in-
 teriectis: *Quæ vulgo in scholis iactatur Dialectica, ostenditur
 Philosophi esse exercitatio in eo, quod est probabile (ἔνδοξον), con-
 tradicendi facultatis gratia.* In quam iure inuehitur, alle-
 gans Apostoli verba 1 Tim. VI, 3. 4. 5. hoc subiecto iudicii
 calculo: *Vides, quomodo (Paulus) in eos inuectus sit, νόσον ὀνο-
 μάζων τὴν λογικὴν τέχνην αὐτῶν, ἐφ' ἣ σεμνύνονται, οἷς φίλῃ ἡ σω-
 μύλος αὐτῇ κακοτεχνία, εἴτε ἐλλήνες εἴεν, εἴτε καὶ βάρβαροι σοφισταί,*
*morbum appellans eorum artem Logicam, propter quam se deco-
 ros iactant, quibus cordi est hæc mala & garrula ars, siue sint
 Græci, siue etiam barbari Sophistæ &c.* Quam contentiosam
 ar-

tem (ἐριστικὴν) penitus esse repudiandam, quod Sophistarum dictiones non solum multorum oculos præstringant, eosque seducant, sed nonnunquam etiam vim (propter impudentiam) afferentes Cadmeam referant victoriam, ibidem asseritur. Ingenuam vero de vniuerso negotio confessionem addit: *Mibi baud immerito, opinor, propositum est, rationi (λόγῳ) conuenienter viuere, & intelligere, τὰ σημαίνόμενα, quæ verbis significantur; Eloquentiam autem nunquam sectari, sed contentum esse, si significetur id quod intelligitur; quo quidem præcise nomine, nihil mihi cura est.*

Ac sane in hoc quiuis bonus & cordatus vir, nedum Christianus, facile Clementi suffragabitur, rerum potius habendam esse curam, quam verborum, abstinendum a logomachiis omni ratione, vanas & inutiles disputationes nequaquam ferendas, multo minus laudandas esse: quæ autem exercitia pro ratione temporum, quæ DEUS emendet, adhuc tanquam necessaria hac in parte requiruntur, ea quanta fieri potest, breuitate, perspicuitate, & quod maximum est, sobrietate institui debere, ne studiola iuuentus aut nugis scholasticis detineatur, aut specie nouarum opinionum ipsiusue eclecticæ philosophiæ, quæ alias etiam iudicio Clementis nostri optima est, decipiatur, sed ea proponantur tantummodo, quæ sunt τὰ καλὰ & ὠφέλιμα τοῖς ἀνθρώποις Tit. III, 8.

Quibus vestigiis, adspirante diuina gratia, nunc & in posterum insistere firmiter mihi etiam propositum est. Postquam enim SERENISSIMVS AC POTENTISSIMVS REX BORVSSIAE, FRIDERICVS, DOMINVS MEVS LONGE CLEMENTISSIMVS, quem DEVS cum Regia Stirpe diutissime conseruet, Professoris Philosophiæ extraordinarii munus in hac Academia mihi demandauit; nil prius, neque potius habendum iudico, quam vt huic mandato omni studio, fide, dexteritate satisfaciam. Specia-

tim

tim itaque pro muneris iniuncti ratione hocsemeſtri publice tradam Institutiones *Logicas*, priuatim vero *Metaphyſicas*, ad ductum auctoris ob merita in rem litterariam celeberrimi *Iacobi Thomafii*, Lipſienſis quondam Profeſſoris, cuius Philoſophia recens iterum excuſa eſt Lipſiæ apud Iacobum Fritſchium. Quem librum vt ſibi quantocyus comparent, qui lectionibus noſtris, tam publicis, quam priuatis, intereſſe cupiunt, amice rogamus ac contendimus. Proxime ſequenti hebdomade hora III pomeridiana bono cum Deo faciemus harum lectionum initium: ad quas Honoratiſſimos Commilitones ea, qua decet, humanitate inuitamus. Faxit Deus T. O. M., vt etiam hi noſtri labores ad amplificandam Ipſius gloriam proſpere cedant atq, eueniant. P. P. Halæ d. xxv Octobr.

MDCCV.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Litteris CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.